







IOSEPHVS

נְזִיר אֶחָיו

h. e.

FRATRVM LECTISSIMVS

GEN. XLIX, 26.

---

QVVM

*VIR NOBILISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS*

DANIEL GOTTHOLD IOSEPH  
HÜBLERS

A. M.

PROVINCIAM

COLLEGAE TERTII

IN GYMNASIO FREIBERGENSI

CAPESSERET,

BONI OMNIS CAVSSA

IN EXEMPLVM ADDVCTVS

ATQVE ILLIVS

ORATIONI ADITIALI

PRAEMISSVS

A

M. IO. GOTTL. BIDERMANNO, R.

---

FREIBERGAE,

Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

CXVII.

**J**osephum, Jacobi filium ex Rachele natum, cum aliis corporis atque animi dotibus egregiis, tum sapientia imprimis unum omnium maxime excelluisse, multis usque luculentissimis testimoniis probari potest. Namque ex rebus ab eo praeclare gestis recte agendi studium, sagacitas, perspicientia, solertia, consilium et prudentia elucet. Et nisi fides atque auctoritas epistoliarum a rege Pharaone ad Iosephum per-scriptarum dubia et suspecta esset, quas I. A. FABRICIVS luci publicae exposuit, a) constaret, quo loco ille huius virtutes singulares habuerit, spiri-tualis gratiae praerogativa diuinitus insignitum, b) eximium doctorem et incomparabilem coniectorem, c) caelestis Secretariae arcanorum arma-rium, d) virum opere et sermone potentem, et tam deo quam hominibus probatum, e) consiliarium salutarem, coronam regum et stateram iudicum, f) eum adpellans. Sed quid opus est siclis laudibus viri, quem ipsae sacrae li-terae omnium excellentissimum commendant, et cuius fama etiam inter homines profanos, percrebuit? IVSTINVS enim refert, g) Iosephum artes magicas in Aegypto solerti ingenio imbibisse, atque omnium primum som-niorum intelligentiam condidisse, h) Plura Demetrii et Philonis poetæ testimonia EVSEBIVS collegit, i) quae epitaphio ab Aegyptiis posito con-firmantur: k) *Iosepho pro meritis eximiae beneficentiae et administrationis, supremo terrae iudici et vindicti patriae, quo maior nullus fuit aut clarior, pro tot tantisque bonis hoc monumentum perenna voluit esse amoris honoris-que gratia Aegyptus.* Non igitur est, quod miremur, gentes superstitiosas Iosephum post mortem diuinis honoribus adfecisse. Alii eniam Serapidis nu-men ab Aegyptiis ex eius historia confictum, et inde nomen sortitum esse contendunt, quod Iosephus ἀπὸ Σαράς, ex familia Saræ procreatus fuit: l) simul vero figuram huius simulacri, quod cum medio super capite pingi-tur, ad memoriam rei frumentariae referunt, qua ille Aegyptios annonae ca-ritate pressos liberavit; quam in sententiam PAVLINVS ita canit: m)

*... ut Serapis sanctum formaret Ioseph  
 Nomine ferali abscondens venerabile numen,  
 Quum tamen ipsa fidem simulacri forma doceret,  
 Qua modius capiti superest.*

- et
- a) Cod. Pseudepigr. V. T.      b) p. 459.      c) 466.      d) 472.  
 e) 477.      f) 483.      g) Hist. L. XXXVI, 2.      h) conf. Eyb.  
 Hoppii Exercitat. de Philosophia Iosephi, proregis Aegypti. Helmst. 1706.  
 i) Praepar. Evang. IX, 21. p. 424. et IX, 24. p. 430.      k) Io. Contr. Dite-  
 vici Antiquit. Bibl. V. T. p. 597.      l) Fr. de la Morbe le Payer Oeuv,  
 T. XII. p. 98.      m) in Natal. S. Felicis. v. 100. 199.



et quam Guil. BONIOVR pecnliari libello copiose defendit. n) Alii Iosephum in cultu religioso Osiridis, Adonidis et Thammuzi latere, sibi persuaserunt. o) Alii Theutum vel Hermetem Aegyptiorum, decantatissimum artium ac scientiarum repertorem, ad Iosephi exemplar conformatum esse, suspicantur. p) Et alii res à Iosepho gestas sub fabula de aue Phoenice occultari, putant. q)

Hic igitur Iosephus tantum habuit commendationis, quantum vix quisquam mortalium unquam complectetur. Ipsum certe nomen, quo adpellabatur, gratiam spirabat, felicitatem prae se ferebat, excellentiam ostentabat, et ab augendo, crescendo atque amplificando derivatum, Iosephum talem praedicebat, qualis postea reuera euadebat. r) Quam ob causam postero tempore adeo in deliciis habitum illud fuit, ut pluribus fauili omnis causa imponeretur. Eo enim insigniti leguntur filius Asaphi, s) sacerdotes quidam, t) unus ex maioribus Iudithae, u) filius Zachariae, dux exercitus, w) maritus Mariae, x) senator Arimathensis, y) et alius cognomine Iustus; z) quorum etiam referri debent nomina ex illo confluata, e. c. Iosiphia, a) Eliasaph, b) etc. Dignitas autem huius nominis cognominibus singularibus illustratur, quae Iosephus honoris causa sortiebatur, iam dominus somniorum, c) iam Abrech, i. e. flexis genibus adorandus, d) iam Zophnath Paaneach, h. e. reuelator arcani, e) iam praefectus regiae domus, f) iam dominator uniuersae Aegypti f) adpellatus. His vero missis, illud Iosephi nomen iam contemplantur, quo pater Iacobus morti iam vicinus illum boni omnis causa נִרְמָה נִרְמָה salutabat. Et ipsa quidem dictio נִרְמָה ex earum est numero, quae subiectum passionis indicant, quales sunt נִרְמָה, ereptus, נִרְמָה aetate prouectus, נִרְמָה defatigatus, נִרְמָה fuga elapsus, etc. Sensu autem vel generali sumitur, id omne significans, quod eximium est, praestantius ceteris, et omnium excellentissimum, h) vel speciali, pro viris à vulgo separatis, atque a certis rebus abstinentibus, qui propterea Naziraei audiebant, singulari lege diuina con-

- n) Diss. de nomine patriarchae Iosephi a Pharaone imposito, in defensionem Vulgatae editionis, et patrum, qui Iosephum in Serapide adumbratum tradiderunt. Rom. 1696. o) Braunii Select. S. IV. 13. p. 423. et G. I. *Vossii* Theol. Gentil. L. I. c. 27. p) Theoph. *Galei* Philosoph. general. p. 15. q) Petr. *Tekeli* in Phoenice viso atque audito. *Roterod.* 1703. r) Gen. XXX, 24. s) 1. Chron. XXV, 2. g. t) Neh. XII, 14. Efr. IX, 34. X, 42. u) Iud. VIII, 1. w) 1. Macc. V, 18. 60. 2. Macc. VIII, 22. X, 19. x) Matth. I, 16. y) Matth. XXVII, 57. z) Aët. I, 23. a) Efr. VIII, 10. b) Num. I, 14. III, 24. c) Gen. XXXVII, 10. d) Gen. XLI, 43. e) Gen. XLI, 45. f) Gen. XLV, 8. g) l. c. conf. Io. Contr. *Endemiami* Diss. de variis Iosephi nominibus. *Hersfeld.* 1747. h) Ley. XXV, 4. Thren. IV, 7.



confirmati. i) Neque tamen Naziraei cum Nazarenis confundi debent, quo nomine incolae urbis Nazareth indicantur. k) Neque Iosephus illis Nasiraeis est accensendus, qui singulari voto se Deo consecrauerant, quod P. BOVL-DVCCIVS statuit, persuasus, ipsa vota Nasiraeorum originem à Iosepho traxisse, qui in carcere non solum abstinentiam exercuerit, sed comam etiam aluerit, ad Pharaonem autem perductus candidam vestem acceperit: quam opinionem HEIDEGGERVS iure explodit, l) LEVSDENIVS vero recte adfirmat, hanc sententiam plus roboris non habere, quam doctrinam eorum, qui ex votis Nasiraeorum tam dignitatem quam utilitatem ordinum monasticorum probare satagunt. m) Neque ille ideo נזיר אהרי separatus a fratribus dicitur, quod a fratribus venditus, contentim habitus, et in Aegyptum delatus atque a fratrum consortio seinnectus fuit, cui sententiae IO. LIGHT-FOOT n) et Herin. WITSIVS o) fauent, quam vero C. VITRINGA repudiat, quod sensus in ea tenuis et dilutus insit. p) Quo vero fundamento Iac. SAVRIN vocem נזיר per coronam explicet, vix hartiolando adsequeris. Vbi enim verba: נזיר אהרי hunc in modum interpretatus erat: q) *Du wirst unter deinen Brüdern dasjenige seyn, was ein Koenig in seinem Koenigreich ist:* illius explicationis in nota subiecta hanc addit rationem: *Der Nabme נזיר bedeutet einen Menschen, der eine Krone auf dem Haupte traegt.*

Sed nolimus his sententiarum diuortiis inhaerere, certum atque exploratum habentes, idoneas et grauissimas causas Iacobum habuisse, quibus permotus Iosephum filium נזיר אהרי separatam inter fratres adpellaret. Talem enim hunc reuera fuisse, historia sacra diserte adfirmat. Principatum nempe inter fratres Iosephus eo obtinebat,

α) quum iure primogeniturae donaretur, quo Ruben per animi leuitatem exciderat. r) Id quod scriptor diuinus his verbis indicat: s) *Fuit Ruben quidem primogenitus, sed ob violatum lectum gentilem hoc iure excidit, atque haec aetatis praerogatiua Iosepho cessit.* Quanta autem primogeniturae fuerit dignitas, quis ignorat?

β) Praeterea Iosephus fratres suos singulari sapientia antecellebat. Et hanc quidem rerum diuinarum atque humanarum intelligentiam ab angelis doctoribus eum accepisse, Rabbinus non solum somniant, sed ipsa etiam angelorum nomina recensent, quibus patriarchae doctoribus usi fuerunt. Adam nempe Rasiel, Semus Iophiele, Abrahamus Zidkiele, Iacobus Raphaele

i) Num. VI, 2. 199

k) Matth. II, 23. Act. XXIV, 25.

l) Hist. patri-

arch. T. II. Exere. 23. Sect. II.

m) Philolog. Hebr. mixt p. 152.

n) Hor.

Hebr. et Palm. ad Matth. II

o) Meletem. Leid p. 278.

p) Obs. Sacr.

L. VI. 21. q) Bibl. Betracht. edit. Rambach, P. I. II. 542.

r) Gen. XLVIII, 22.

s) I. Chron. V, 1, 2.



phaele, et Iosephus Gabriele. t) Singularem autem mentis sagacitatem et prudentiam Iosephi praeditum fuisse, nemo in dubium vocabitur, qui res ab illo gestas animo perlustrat. Imo sunt, qui Mercurium, scientiarum atque artium praefidem, ex Iosephi historia effectum esse, arbitrantur, u)

γ) Porro a fratribus Iosephus dicitur separatus, quia inde a puero, quum adhuc in patris domo versaretur, a studiis et moribus fratrum suorum abhorrebat, eorumque crimina ad patrem defererebat, w) qui ea de causa ipsum non modo impensius diligebat, sed etiam vestimento singulari a fratribus distinguebat. x) Accedebat somnium singulare, quod Iosepho amplissimos honores pollicebatur. y)

δ) Haec dignitas atque praestantia eo augebatur, quod benedictio, qua Iacobus morti iam vicinus filios suos ornabat, multo parcius erat, quam ea, quae Iosepho impertiebatur. z) Inprimis vero ea felicitas eminebat, quae in המון גבורה, h. e. *monibus desideratissimis* promittebatur; quam promissionem certissimus eventus confirmavit. Quis enim non legit de fertilitate terrae Basaniticae, quae Iosepho assignabatur? a) Haec omnia ita sunt comparata, ut, cum vita Iosephi collata, aperte testatum faciant, eum principem fratrum suorum omni iure adpellari. Qui enim ex insidiis fratrum feliciter evaserat, qui ipsos fratres, ne fame perirent, conservauerat, qui proximum a potentissimo rege locum tenebat, et in cuius dignitate amplificanda et tuenda divina providentia expressissimis documentis exsplendescerebat, ille omnino בורר אהרן, fratrum excellentissimus salutari merebatur. Hunc nimirum Deus singulari consilio elegerat, ut signum et prodigium esset, in cuius vitae casibus et eventibus divina providentia ludere decreuerat, ut omnes intelligerent, esse hunc hominem profusum singularem, atque diivinitus ad fines peculiare destinatum. Vti vero Iosephus non solum fratres principatu, sed etiam omnes proceres in aula Pharaonis auctoritate anteibat; ita etiam nunc imperii principes inter gentes orientales nomine *Nasir* ornari, exemplo Persarum Iean CHARDIN probat, his usus verbis: b) *la premiere charge du royaume est celle d'un Surintendant general de la maison du roi, qu'on appelle Nazir, qui est, pour ainsi dire, l'esprit, qui anime tout ce grand corps de domestiques et d'officiers, qui composent la maison du roi.* Quae Aug. CALMET suo suffragio confirmat: c) *Le Nasir est le premier officier de la cour des rois d'orient: et iterum: d) dans les cours des rois d'orient il y*

a

t) R. Menachem Recanat in Explicat. Pentat 80. u) Th. Galei Phil L. I. §. 6.  
w) Gen XXXVII, 2. x) l. c. 3. y) ibid v. 7. z) Gen. XLIX,  
22-26. a) Deut. XXXII, 14. Pf. XXII, 13. Ez. XXXIX, 18. Am IV, 1. conf.  
Bocharri Hieroz. P. I. L. II. c. 31. b) Les Voïages en Perse et autres  
lieux de l'Orient. T. II. c. V. p. 238. c) Suplem. de Levitic. -p. 28.  
d) Supl. Commentair. sur le Deuteron, p. 109.



a un officier, nommé Nasir, qui est le premier officier de la couronne, le grand economie du roi, le Surintendant de sa maison, de ses domaines et de ses tre-fors. Il a l'inspection sur tous les officiers de la maison du prince, sur la table, sa garde et ses pensions. Imo hoc ipsum nomen Nasir, quod sum-mam excellentiam complectitur, ea de causa nominibus propriis, magnum et amplum sonantibus, fuit adnexum, qualia sunt: Nasores, e) Nosur, f) Nabonator, g) Nasreddin, Abunafir, Nasraddaulla, Almaleca Alnafir, et plura apud Abulpharaium, Elmacinum, et ceteros historiae Saracenicæ scriptores.

Quamvis autem Iosephus tanta nominis et virtutum gloria enituerit, ut dignitatis amplitudine fratres suos longe superaret: non tamen defue-runt, qui famam illius labefactare et conuictis conspurcare studerent. Alii enim eum praeceptum diuinum de patre colendo violasse, alii arti magicæ seruisse, et alii ex re frumentaria iniustum lucrum captasse, calu-mniati sunt: quorum cavillationes I. F. MAYERVS y) I. A. SCHMI-DIVS, i) et I. P. KRESSIVS k) copiose refutarunt. Io. CALVINI sen-tentiam vero, qua perhibet, Iosephum in eo deliquisse, quod non satis cor-date superstitionibus resisterit, G. H. GOEZIVS accurate examinavit, et soli-de discussit. l) Tandem recentiori aetate Sam. BASNAGIVS m) statuit, circumcisionem sub religionis praetextu à Iosepho apud Aegyptios intro-ductam, et ab his ad Abrahamum derivatam fuisse, MARSHAMVM et SPENCERVM adhaerens suae sententiae nactus, quam non solum Z. GRA-PIVS, n) sed etiam Italus celeberrimus, Castus Innocens ANSALDVS, ex ordine Praedicatorum, explofit. o) Quae vero tela famosus Deista, Thom. MORGAN, Medicus Anglus, in Iosephi laudes et famam coniecit, cel-doctor et professor in academia Basileensi, Io. Balth. BURCARDI, retudit et confregit. p) Quod restat, qui plura de Iosepho scire desiderat, ex libris bonae frugis plenis I. H. HEIDEGGERI, q) et G. CALIXTI r) sitim su-am

- e) Eduard Bernard in Scholiis ad monumenta Palmyr. p. 25. f) Th. Smith in Annot. ad monum Palmyr. p. 67. g) Jac. Christmann in Schol. ad Mubam, Afrageni Chronol. p. 274. h) Diss. an Iosephus, honores patri per annos novem integros non indicans, quartum praeceptum violauerit? *Gryphiss.* 1706. i) Diss. de Iosepho, ex scypho non diuinante. *len.* 1691. k) de problemata: utrum Iosephus dardanarius fuerit? *len.* 1707. l) Diss. Num Pharaos opera Iosephi ad veram ecclesiam perductus fuerit? *Lub.* 1712. m) Exercitt. hist. crit. p. 120. n) Diss. an circumcisio ab Aegyptiis ad Abrahamum fuerit derivata? *Roff.* 1699. o) Diss. Iosephi religio a cri-minationibus Basnagii vindicata. 8 *Bresciae.* 1744. p) Orat. de crimini-bus Iosepho a Morgano obiectis: in *Musei Helvet.* P. III, n. 2. q) in *Histor. patriarch.* T. II. p. 579. 599. r) in *Observat. Exeg. Theol. historiam Iosephi illustrantibus.* *Helmsf.* 1647.



am ex voto resignare poterit. Imo ipsi Spiritui S. placuit, Iosephi res gestas prolixius, quam reliquorum Iacobi filiorum persequi, ut non solum accuratius fata gentis Israeliticæ cognoscerentur, sed etiam legentes ex illo exemplum caperent pietatis, castitatis, prudentiæ et mansuetudinis, simulque intelligerent, omnia à nutu divino dependere, mundum uniuersum sola Numinis immortalis providentiâ regi atque administrari, et eum, qui innocens patitur, ad extremum non modo feliciter eluctari, sed etiam certissimis præmiis ornari. Quam in sententiâ RUPERTUS, abbas Tuitiensis, præclare docet, dignitatum insignia, in Iosephum collata, aerumnarum ponderibus, quas antea fortiter sustinuerat, exacte respondisse. En eius verba: s) *pro odio fratrum gratia regis ac procerum ornatur: pro exilio honoribus adscitur: pro duris laboribus annulo donatur: pro pallio, quod adultera detraxerat, stola byssina amicitur: pro compedibus aurea torque cingitur: pro carcere in curru regio collocatur: pro contemptu fratrum genua ipsi flectuntur: et pro adultera uxor nobilissima illi obtingit.* Quis igitur hunc Iosephum non admiretur, qui כֹּהֵן אֱדֹמִי, hoc est, ut LXXles vertunt, δὲ καθεδὲς ἐν ἀδελφοῖς, t) audit, et cui Deus mendaces ostendit suos obrectatores, gloria æterna comparata? u)

Ex his in medium adlatis, nemo non intelliget, quo consilio Iosephus, inter fratres suos lectissimus, iam in scenam fuerit productus, ubi, confociatis Amplissimi Senatus suffragiis, ille Iosephus in numerum publicorum huius scholæ magistrorum cooptatur, quem votis expetitur nunc faustis auspiciis initiari, lætamur, non dubitantes, eum, qui quondam hoc in gymnasio fratres et commilitones ingenio, industria, obsequio et morum integritate superauit, imposserum docendo, monendo, excitando et tolerando partes boni doctoris eodem in stadio expleturum. Redi igitur, Collega exoptatissime, bono cum Deo ad eam officinam cum alacritate, ex qua olim multa cum læude produisti, hoc testimonio non minus quam voto dignus:

*Vicisti iuuenis multos durosque labores  
 Ingenio magnus, nec pietate minor.  
 Vicisti patiens lentæ ludibria sortis,  
 Quæ solet ex ipsa dulcior esse mora.  
 Nunc vincenda datur mandata prouincia Iudi:  
 Sed ludum quis non vincere, quaeso, velit?*

*Macte*

s) in Commentar. ad h. I. L. VIII. c. 40.

t) Deut. XXXIII, 16.

u) Sap. X, 14.



Maeste ergo virtute noua Te sisse paratum,  
 Et spem conceptam vince tenore nouo.  
 Haslraden studio refer et pietate Lutherum,  
 Qui praecefferunt, Harzbachiumque fide.  
 Vince diu, crebrosque inter canesce triumphos:  
 Vincentem laudis certa corona manet.

Vt autem omnia legitime atque ordine fiant, more recepto, antequam ipsum docendi campum ingrediaris, Summe Venerabilis Gymnastii Ephorus partes officii demandati oratione exponet, qua, *mutuo scholae matri amplexu iungi esse dulcissimum*, docebit. Quem TV ipse dicendo excipies, argumento sermonis ad pietatis et grati animi sensum conformato, quod, *gramaticam optimam esse disciplinam*, demonstrabit, qua *puerilia ingenia contineri possunt*. Porro et suo et collegarum nomine rector paucis singularem voluptatem declarabit, quam haec noua scholae nostrae facies adfert, *gaudia Ciceronis adumbratam, quod dato, Dolabella collega, percepit, quem olim discipulum habuerat atque auditorem.* w) Ad extremum ex ordinibus nouae institutioni committendis, aliquot iuuenes prodibunt, ligato sermone gratulaturi et vota facturi, scilicet:

Cl. I. I. F. Wittich, Oeder. Hebr.  
 G. H. Krause, Freyb. Gr.  
 C. G. Kühn, Koenigst. Gal.

Cl. II. C. F. Richter, Freib. L.  
 F. A. Tzschoeckel, Freib. L.  
 S. G. Affer, Freib. L.  
 A. H. Klotzsch, Freib. L.

Cl. III. C. G. Bernhardt, Wilsdruf. G.  
 C. F. Hennig, Freib. G.  
 C. G. Eckard, Pappend. L.  
 G. C. Hunzer, Freib. L.  
 G. C. L. Kretschmar, Conradsd. L.

C. G. Findeisen, Freib. L.  
 C. G. Funcke, Freib. L.  
 C. R. Burkard, Freib. Gal.

Cl. IV. I. C. Mende, Sibel. Germ,  
 C. G. Weber, Miltiz. G.  
 G. L. Francke, Michael. G.  
 C. H. Lingke, Freib. G.  
 I. G. Bidermann, Freib. L.  
 I. C. F. Herrmann, Freib. G.  
 D. G. Müller, Freib. G.  
 C. F. Seyfert, Freib. G.  
 G. I. Dindorf, Grosschirm. G.

Nos autem, ut nulli dubitamus, omnes ac singulos, qui iuuentuti recte educandae fauent, vota sua cum precibus nostris coniuncturos esse: ita in primis scholarum amantes Patronos obsequiose rogamus, ut cras, hora ante meridiem nona, haec auspicia beneuola praesentia cohonestare velint.

P. P. a. d. V. Sept. MDCCLXV.

w) Cic. L. IX. Ep. 14. *mibi est gloriosum, te iuuenem consulem florere laudibus, quasi alumnus disciplinae meae.*



Yb 627

ULB Halle

001 508 164

3



(811148)

TA → OL











IOSEPHVS

נְזִיר אֶחָיו

h. e.

FRATRVM LECTISSIMVS

GEN. XLIX, 26.

QVVM

VIR NOBILISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS

DANIEL GOTTHOLD IOSEPH  
HÜBLERVS

A. M.

PROVINCIAM

COLLEGAE TERTII

IN GYMNASIO FREIBERGENSEI

CAPESSERET,

BONI OMINIS CAVSSA

IN EXEMPLVM ADDVCTVS

ATQVE ILLIVS

ORATIONI ADITIALI

PRAEMISSVS

A

M. IO. GOTTL. BIDERMANNO. R.

FREIBERGAE,

Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

CXVII.

